29

Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA
De
SALIVÆ
NATURA ET USU.

Qvam

Gratiosissimæ Facultatis Medicæ indultu,

PRÆSIDE

VIRO

NOBILISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO,

DN. JEREM. LOSSIO, BORNENS.

Phil. & Med. D. & Prof. Publ. Extraord.

publicæ ventilationi

ad d. Septembr. A. M.DC.LXXVII.

offert.

GODOFREDUS Heydenreich.

OLSNENSIS. SIL.

WITTEBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



JOVAH JUVA!

CAPUT I.

SALIVÆ NATURAM EXPLICAT.

§. 1.

SALIVA sive â *saliendo*, sive, ut vult *Isidorus*, â *Sale* deducatur, perinde Nobis erit. Illa tamen convenientior videtur derivatio, qvoniam cum impetu qvodam potior Salivæ pars exilire cernitur ex *Uvula* & *ductibus sublingvalibus*. Ut ductus istos cum *Virgilio* commodùm dicas salientes rivos. Qvemadmodum & *Semen* Masculinum propterea *Salivam* dicunt nonnulli, & *Bonaciolus* liqvorem illum, qvi in salacioribus Mulierculis tempore congressus exilire solet, *salivalem* appellat. σίαλος vocatur Græcè, it: σίελος & σίελις. Unde glandulæ Salivales ἀδένες σιαλόχοι nominantur.

§. 2.

Sed ut σίαλος, sic etiam vox *Salivæ* non semper liqvorem salivalem *strictè* sic dictum denotat. Siqvidem *Hippocrates lib. 2. de Morbis*: Sputum qvod cum Tussi excernitur, appellat σίαλον, ubi dicit: ὅταν πλευμᾶ τούτου τὸ σίαλον παχὺ ὑπόχλωρον. γλυκὺ βήσσεται. Exinde patet, qvod non uno modo accipiatur. Interdum *latè* sumitur pro omni eo, qvod per os excernitur, sive cum tussi, sive cum screatu excernatur, qvod alias πτύσμα propriè appellatur. Interdum etiam pituitam è naribus per pala-

tum descendentem includunt sub Saliva, qvam *Hippocrates* βλέννα dicere solet. Alii contrà *strictissimè* accipiunt salivam, pro ea saltim lympha, qvæ in glandulis conglomeratis σιαλόχοις secernitur, & propriè exilire dicitur. Nos mediâ viâ incedimus, qui per salivam intelligimus omnem liqvorem, qvi naturaliter in ore reperitur, exclusis excrementis omnibus, qvocunq; motu eò deveniant. Qvam ita definimus.

§. 3.

Saliva est Humor mixtus ex Sangvine arterioso in parotidibus, Uvula, & aliis glandulis oris præparatus, & per ductus atq; meatus salivares, in Oris cavitatem effusus, ad masticationem, deglutitionem, aliosqve usus utilis & necessarius.

§. 4.

De *Genere* nulla lis Nobis facilè movebitur, siqvidem *fluiditate* & *humiditate* suâ, ad humores propriâ naturâ confluit, nec facilè partibus solidis aut impetum facientibus sociabitur. Sed dum diximus esse humorem *utilem* & *mixtum*, novimus nobis contrariantes.

§. 5.

Veteres, inter qvos etiam *Paracelsus* pro *excremento* habuerunt, fortean qvòd solet commissis labiis exspui, & tanqvam inutile è corpore eliminari. Neq; tamen inter se conveniunt. *Paracelsus excrementum Oris, & sic tertiæ Concoctionis* esse existimat, dum statuit omnes partes & qvodlibet membrum suam digestionem & separationem in se propriam, suumqve proprium Stomachum, emunctorium & stercus habere. Alii autem contendunt esse *excrementum secundæ concoctionis*, & qvod in Epate elaboretur, atq; unà cum Sangvine ad Fauces deducatur. *Galenus* sanè ad *pituitam naturalem*, & citra omne dubium ad pituitam excrementitiam refert l. 3. de loc. affect. c. 7. *Pituitæ qvidem unum genus est, qvod qvotidiè vel screando, vel vomendo, vel emungendo educitur, vaporoso scilicet Spiritu plenum, ut ne sensum qvidem lateat, ipsum esse dissimilarem. Alia verò pituita similaris qvidem videtur, licet fortasse non sit similaris, qvalis est crudus humor,*

mor, qvi in Urinis substat. Atq; ex hoc genere esse videtur Saliva, qvæ neq; fluida est admodum, neq; aqvosa. Qvem locum propter seqventem §. 10. huc exscripsimus. Idem *Galenus* simili respectu *l. 3. de Natur. Facult. c. 7.* salivam vocat pituitam Oris. Et qvoniam *l. 8. de Comp. Med. c. 4.* ex Ventriculo, & alibi *l. 2. de Temp. c. 6.* ex Cerebro ad Fauces deferri salivam putat, partim ad primam, partim ad tertiam retulisse judicari poterit. *Seibitius, Casp. Hoffmann.* & multi alii ad pituitam naturalem excrementitiam omnino referunt, dum distingvunt inter Humores naturales & præternaturales, illos autem in alimentitios & excrementitios dividunt, & postea huc qvoqve Salivam referunt. *v. Joh. Theod. Schenk. Schol. part. c. 1. p. 3.* Sed qvòd excrementum propriè sic dictum non sit, patet exinde, qvòd neqve in Epate, neqve partibus Oris nutriendis, nec aliis Organis Coctioni dicatis, sed in peculiaribus glandulis, nulla præcedente concoctione elaboretur. Qvòd si autem propterea excrementum dixerit aliqvis, qvod in glandulis à Sangvine secernatur, saltim nominaliter & latè, non autem propriè & realiter dixerit. Sic neq; propterea dici poterit excrementum, qvod interdum è Corpore commissis labiis eliminetur, nam naturaliter non excernitur, unde nec bruta exspuunt. qvòd autem interdum à nonnullis excernatur fit *vel* ex mera consvetudine, sive, ut loqvitur *Sylvius*, more malo. *Qvò enim qvis magis vel minus Functionem qvamvis excercet, eò,* inqvit, *partes illi ministrantes ad eandem facilius, & hic qq. abundantius aptiores facit, vel* in statu præternaturali, plerumqve à *Cachecticis & Scorbuticis*, qvibus familiare admodum est *Ptyalismus*. vid. *Reisner. de Scorbut.* Et id, qvod in eo Affectu excernitur, non est naturalis saliva, de qva agimus, neq; commodùm dici poterit σίαλ☉, siqvidem *in numerum eorum, qvæ providè à Natura fiunt*, refert *Hippocrates Salivæ generationem*; sed rectius dixeris cum *Hippocrate l. 2. de Morb.* λάπην, pituitam, qvæ interdum à Ventriculo, interdum à Cerebro Ori suppeditatur. Hanc igitur, ut & eam, qvam Heluones, & qvi Tabaco freqventius utuntur, excernunt, si excrementum dicere volueris, per me licebit.

 §. 6. Hinc

§. 6.

Hinc patet, qvòd qvoniam excrementitius humor non est, qvòd neqve ad pituitam naturalem referri qveat, nisi fortè nimis latè pituitam pro sero qvocunqve, vel qvavis lympha accipiatur. Loca Galeni pleraqve de λάπη seu Saliva p.n. sunt interpretanda, ut infra videbitur.

§. 7.

Rectiùs fortassis diceretur Lympha, prout sœpius hanc vocem adhibuimus. Qvandoqvidem omnes illos liqvores, qvi à Glandulis secernuntur, lympham peculiarem nominant Recentiores. Maluimus tamen retinere commune Nomen, qvoniam mixtum Humorem, non solam autem lympham, qvæ ex Glandulis conglomeratis est, intelligimus.

§. 8.

Diximus Humorem mixtum seu Heterogeneum; componitur enim ex *lympha tenui, aqvosa & pellucida*, & *mucoso* qvodam ac *glutinoso humido*. *Illa* ex ductibus Maxillarium, Uvulæ & aliarum glandularum, velut ex rivo exilire cernitur. *Hæc* ex palatinis glandulis exprimitur, & secum fert albedinem qvandam ac dulcedinem manifestam. Lympha illa tenuis & aqvosa dum alluit, simul abluit mucilaginem, ut ita pingvis & viscida evadat. Et id qvidem provida Natura sapienter ordinavit, ut ex aqvosa & oleosa seu pingvi materia constet, ut salinis & oleosis cibis se facilè associare qveat; nullum enim ingeritur, cui non associetur. Ut propterea ejus compositionem singularem & admirabilem pronunciet *Diemerbroc.* lib. 3. Anat. p. 740. Cui etiam videtur esse ☿ qvidam humoralis, seu menstruum universale, qvô qvælibet ore assumpta mox junguntur.

§. 9.

Viscididatem Salivæ inesse Sensûs Tactûs testimonio evincitur, siqvidem digitis percipitur, eandem inesse. Præstereà qvòd spumosa evadit, viscididatem arguit. Oriuntur enim Spuma

ma & bullæ, qvando aer intrat particulas viscoſas, easqve extendit. Ineſſe huic Aqvæ aliqvid oleoſi & pingvis, evincit hoc, qvòd Salivâ ☿ vivus ſubigi & mortificari qveat, qvod aliàs pura & ſimplex aqva, nec urina, nec alius liqvor facilè præſtare poterit. Ut taceam qvòd ad varios uſus à Medicis adhibeatur, ex qvo ejus ſingularis compoſitio, & vis præ ſimplici liqvore manifeſtatur.

§. 10.

Gorrhæus in Definit. Med. pro *ſimilari* liqvore & *homogeneo* habet, & ſic nobis contrariari videtur. Sic enim ſcribit: *Videtur qvod Saliva ſit pituita ſimilaris, ſi modò ſecundum naturam ſe habeat, hoc eſt, ſi nec fluida valdè & aqvoſa ſit, nec nimium lenta & ſicca, nec alienâ qvalitate prædita.* Videtur autem qvòd ſtrictisſimè hîc utatur vocabulo Salivæ, pro lympha ſaltim glandularum conglomeratarum; ſiqvidem addit: *Ac qvamvis qvotqvot per Corpus ſparſæ ſunt glandulæ, lentum qvendam humorem & qvaſi pituitoſum contineant, Salivæ perqvam ſimilem, eum tamen nemo hominum Salivam appellat.* Hinc etiam qvod ἄποιος ſit, & ſic aqvæ, tanqvam ſimilari humori, admodùm ſimilis, ſubnectit. Verùm dum ex ſangvine ſecernitur, qvæ Maſſa eſt heterogenea, qvî fieri poteſt, ut adeò pura & ſimilaris transcoletur? Galenus ipſe loco in §. 5 allegato dicit; *qvod ſimilaris qvidem videatur, licet fortasſis non ſit ſimilaris.* Et utut concedatur, qvod illud ſaltim Saliva ſit, qvod in glandulis σιαλόχοις ſecernitur, qvæ aqvoſa apparet, non tamen poterit ſimilaris judicari; ſiqvidem non una eſt glandula conglomerata, ſed plures, qvæ huic officio ſunt deſtinatæ, prout cap. ſeqq. videbitur. Singulæ autem diverſum liqvorem ſecernunt, qvoniam ſingulæ peculiare habent fermentum, peculiarem conſtitutionem, & ſic etiam peculiarem actionem. Alia igitur natura erit lymphæ, qvæ ex glandulis Parotidibus, alia qvæ ex Uvula, alia qvæ ex Maxillaribus exſtillat. In eo qvidem conveniunt, qvòd, ut omnium aliarum conglomeratarum, lympha ſit limpida, aqvoſa & tenuis, ſed qvælibet tamen peculiares ſecum vehit qvalitates, & particulas diverſas. Unde ſi invicem commiſcentur, Maſſa fieri aliter non poterit, qvàm heterogenea.

§. 11.

§. 11.

Chymici, qvi curatiùs rem examinant, ſtatuunt ineſſe Salivæ multum aqvæ, parum Spiritus volatilis, & minimum Salis lixivioſi, cum Olei Spiritusq; acidi tantillo miſti temperatiqve. *v. Sylvius Diſput. Med. V. Theſ. 36. & Prax. Med. libr.* 1. *cap. 10. §. 11. Nicol. Steno Obſervat. Anatom. de glandul. Oris §. 28.* Et id qvidem *partim operationibus chymicis* demonſtrant, *partim* etiam *rationibus*. Namqve qvod Saliva Serpentes enecet & contra venena proſit, id à Salibus fieri judicat *Petrus Johannes Faber, Myrothec. Chym. libr. 1. cap. 29. pag. 531.* Sal enim ex ſe ipſo propter vitæ ipſius fundamentum, qvod à natura & DEO accepit, venenis omnibus, *inqvit*, contrariatur, hinc Saliva hominis ſerpentes enecat.

§. 12.

De qvalitatibus Salivæ parum ab aliis ſcriptum reperitur. Nam veteres inter ἀποίους qvalitatis expertes retulerunt. Sic enim *Galenus* libr. 3. de loc. affect. cap. 7. *Saliva cùm ſani degimus nulla qvalitate infecta, ἄποιος, ſed perinde qvaſi aqvoſa guſtui offertur.* Καλοῦσι δ' ἀποίους εἰκότως οὐσίας τοιαύτας ὡς πρὸς τὴν αἴσθησιν. Ἔστι δ' καὶ ταῖς ὑγραῖς οὐσίαις τὸ ὕδωρ τοιοῦτο. *Vocant autem jure ἀποίους qvalitatis expertes eas ſubſtantias, qvæ ad ſenſum ſunt, qvalis inter humidas ſubſtantias eſt aqva. Galen. libr. 1. de Alim. Fac. cap. 8.*

§. 13.

Verùm enim verò etſi ad ſenſum nec Odorem nec Saporem habere videatur, cùm tamen Chymici Sal in eſſe dicant, non penitus erit qvalitatis expers. Aciditas profectò grata ineſt, qvæ guſtu propterea non exactè percipitur, qvòd lingva eidem adſveta ſit. Adſvetis enim & minimis Phantaſia parum attendit. Qvæ aciditas tamen dum optimè fermentationem excitat, ſeſe exerit. Plura ſunt acida in ſe, qvæ tamen guſtu non percipiuntur. Qvin imò ipſi digiti aliqvalem viſciditatem percipiunt, & Oculi conſpiciunt, qvod perſpicua non ſit, ut inde ſenſuum teſtimonio confirmetur, nec ſimplicem, nec qvalitatis eſſe expertem.

§. 14.

§. 14.

Cæterùm præternaturalis Saliva varias recipit qvalitates. Sic enim *Galenus* lib. 3. de loc. affect. cap. 7. Καὶ μέντοι καὶ κατὰ τὴν γευστικὴν αἴσθησιν, οὐ μίαν ἔχον οὐδ' αὐτὸ τὸ σίαλον ποιότητα φαίνεται, μήτι γε δὴ τὸ σύμπαν φλέγμα. καὶ γὰρ ἁλυκοῦ καὶ ὀξέως καὶ ἁλμυροῦ πολλάκις αἰσθανόμεθα σαφῶς τοῦ κατὰ τὸ στόμα σιάλου. *Verum Saliva* (p. n.) *non unica duntaxat qvalitate gustum affert, nedum universa pituita. Sæpenumero enim acrem & acidam & salsam in ore Salivam manifestè deprehendimus.* Sic enim in biliosis amara, in pituitosis salsa aut insipida, in Scorbuticis Vitriolica percipitur, ut hinc inde legitur.

CAPUT II.

De

DUCTIBUS ET GLANDULIS SALIVALIBUS.

§. 1.

ANteqvam de materia, ex qva elaboratur Saliva, agamus, necessum est, ut expediatur, unde derivetur, & ubi præparetur. Sic enim eò meliùs de ortu judicare poterimus.

§. 2.

Pars recipiens extra omnem controversiam est interior oris capacitas, in qvam effunditur, dum ex ductibus exstillat. Nec tamen excludendus erit Ventriculus, in qvem naturaliter descendit, dum deglutitur. Et patet exinde, qvòd sit de natura lymphæ glandularum conglomeratarum, qvæ in cavitatem qvandam semper effunditur; Præsertim qvod prius in certis ductibus colligitur.

§. 3.

In hanc oris capacitatem exstillat, & qvasi exilire videtur ex *papillis* sub lingva juxta ranulam *conspicuis* manifestò & citra omnem contradictionem. Qvilibet enim qvi copiosiori paullò Salivâ abundat, id in semetipso experiri poterit, qvòd, si attollat lingvam & leviter comprimat ranulam, qvòd, inqvam, limpida & saliens lympha etiam extra os prosiliat.

§. 4.

Nos itidem observavimus ejusmodi liqvorem, eôdem modô cum impetu exiliisse ex *Uvulâ*. Idqve non simplici vice vidimus in Studioso qvodam, qvi satis patenter os aperire solebat. Vidimus, inqvam, hinc inde ex Uvula, tanqvam ex papillâ limpidam & aqvosam materiam, veluti sub lingvâ, exilire.

§. 5.

Dum igitur ex hisce locis exilire cernitur, meritò hîc inqvirendum erit, unde eò veniat? *Exinde* scribit Thomas Bartholinus *aperto ore rivuli instar lympham vidi exilientem.* Intelligit autem glandulas juxta lingvæ frenum sitas, qvas *Raninas* seu *Hypoglottides* appellat. In has glandulas, qvas rectius *papillas* nominamus, terminantur bini hactenus observati ductus, qvi, qvòd Salivam vehunt, rectissimè *Salivares* dicuntur.

§. 6.

Hi ductus, si ulterius inqviratur, ad glandulas tendunt; *unus* amplior & satis patens *ad maxillares glandulas*, *alter* angustior *ad* glandulas *sublingvales*, ex qvibus glandulis oriuntur. Sic enim *Joh. Van Horne* Lugdun. in Microcosmo pag. 23. *In fundo oris interni, in ambitu lingvæ, adsunt glandulæ* sublingvales, *continuatæ* cum Maxillaribus, *seu majoribus illis sub angulo maxillæ acuto delitescentibus, ab his & per illas feruntur ductus qvidam Salivares vocati, qvi terminantur in duas minores glandulas sub fræno lingvæ collocatas.* Hariolamur etiam ductus à *Lingva* in hasce papillas terminari; & qvidem experientiâ edocti, qvoniam vidimus majori semper copiâ & impetu ex papillis sub freno lingvæ exilire lympham, qvando Salivatores apicem lingvæ dentibus leviter commordent, & deinde lingvam attollunt. Idem nonnemini contingit, si vesiculæ in apice lingvæ oriuntur; tunc enim copiosior semper lympha ex hisce papillis emanat.

§. 7.

Ductus Salivalis, qvi ad Maxillares tendit, non penitus latuit Veteres. A *Thoma Warthono* autem fuit denuò detectus, à qvo etiam

etiam nomen obtinuit, & vocatur *Warthonianus.* Eum *Avicenna* lib. 3. can. fen. 6. cap. 1. ita describit: *Sub lingva sunt duo Orificia, qvæ ambo ingreditur stylus, & sunt fontes Salivæ, qvæ ad carnem perveniunt glandulosam, qvæ est in radice ejus, & nominantur generativæ salivæ.* Accuratius autem ab ipso *Warthono* seqventibus describuntur.

§. 8.

Principium suggerit crassior & posterior glandulæ maxillaris pars, & rectâ tendit mentum versus. Anteqvam vero ad anteriorem ejusdem partem pervenit, ramulos subinde novos ab eadem excipit, adeoqve protenditur ad medium menti spatium, ubi immediatè intra gingivas in papillam qvandam utrinqve terminatur, qvo se facilè exonerat, nihil vero ab ore refluum admittit.

§. 9.

Radices hujus *Ductûs* Capillares in omnes glandulæ partes æqvaliter sparguntur, qvi aliqvibus geminum ramum, in aliqvibus plures ramos emittit. Cùm geminum, *alter* è capite glandulæ, alter è cauda prodit. Anterior Ramus mox ab egressu extrorsum fertur, versus glandulam qvandam minorem, sitam inter intimam maxillæ partem & glandulam majorem, estqve diversi generis, cineritii coloris, substantiæ compactionis, minusq; granulatæ & figuræ ovalis, qvæ interno latere impressurâ rotundâ excavatur, è qva prodit *Vas peculiare*, qvod rectâ fertur, & in glandulam hanc maxillarem distribuitur. *Posterior* Ramus spatio trium digitorum vel qvatuor è glandula egreditur, priusqvam cum anteriore Caudice conjungitur. Simul ac verò è glandulæ substantia prodiit, fertur sub musculo maxillari digastrico, qvi eidem ramo, velut trochleæ vicem præstat. Exinde reflectit ad glandulæ ferè medium, ubi cum anteriore Ramo descripto, & plurimis ramis eidem qvasi sociis unitur, & inde canalis communis ex horum concursu aliqvantò arctior redditur. Hic deinde rectâ anterius tendit, & à lingvæ lateribus nimirum in inferiore ejus parte, cute & pingvedine tectus, in papillam, uti dictum, juxta ranulam terminatur.

§. 10.

Glandula maxillaris est è numero *conglomeratarum*, qvandoqvidem plures glandulæ minores, membranulis invicem cohærent, & in peculiarem ductum jam descriptum deponunt liqvorem, qvem secernunt. Istæ glandulæ sub maxillæ inferioris angulo acuto delitescunt. Harum pars posterior multò crassior, & rotundior est, ut & rubicundior, anterius progressa paulatim attenuatur, mediâ autem via videtur primo aspectu qvasi discontinuari & recedere, reipsa tamen exiguo ramento continuatur, deinde vero crassescit, & cunei instar, inter maxillæ & lingvæ musculos ad mentum usqve protenditur. In Homine observat *Hornius* replere spatium inter laryngem & musculos, ab osse hyoide ad menti medium tendentes. Hæ glandulæ peculiaria etiam vasa obtinent. Nam præter Ductum Warthonianum, in ejus substantiam & omnes glandulas, etiam minimas, tendunt *Arteriæ* & *Venæ*. Illæ afferunt sangvinem pro Salivâ secernendâ, & admodùm conspicuæ fiunt, si liqvor qvidam viridis mediante siphone immittatur. *Nervi* prætereà à sexto pari eò tendunt.

§. 11.

Ductus alii, qvi in papillas terminantur, sunt *sublingvales*, oriuntur intra glandulas sublingvales exilibus rivulis & hinc sibi invicem paralleli à lingva versus gingivas recedunt, sunt angustiores, qvàm Warthoniani.

§. 12.

Glandulæ sublingvales dicuntur, qvod utrinqve ad lingvæ latera sitæ sunt. Sunt itidem è numero conglomeratarum, & ferè nihil aliud, qvam maxillares continuatæ. Recipiunt *arterias*, *Venas*, *Nervos* ab iisdem ramis. *Galenus* jam tùm suo tempore de hisce glandulis scripsit, qvòd Saliva exinde in os excernatur. Ἐξ ἐγκεφάλου δι ὑπερῴας περίττωμα καὶ τῶν παρὰ τῇ ῥίζῃ τῆς γλώσσης ἀδένων τὸ σίελον. *Ex glandulis qvæ ad radicem lingvæ sunt saliva fertur.* Et qvamvis de tonsillis locus explicari possit, cùm tamen libr. 14. cap 1. de usu part. accuratè glandulas distingvat, meritò cum *Casp. Hoffmanno Comment. in Gal.* lib. de usu part. 11. cap. 10. de hisce glandulis accipimus, qvas itidem *Casparus Bau-*

hinus

binus Anat. l. 3. c.90. depinxit. *Nam*, scribit, *præter duas glandulas oblongas & rotundas, circa Oesophagi principium huic parti vicinum, qvæ sub musculo Ceratoglosso sitæ sunt, plurimæ glandulæ carnosæ sub lingva circa ejus frenum occurrunt. &c. Hæc glandularum congeries lingvæ radici innascitur, quò lingva perpetuò madeat.*

§. 13.

Qvemadmodum autem dubio procul exiliens juxta Ranulam Saliva ansam dedit inqvirendi ductus, sic hactenus non dubitavimus conjecturare, itidem retrò uvulam esse tales ductus salivares, qvandoqvidem & ibidem vidimus salivam exilientem. Non licuit nobis esse tam beatis, ut diligentiùs inqvirere potuerimus, dum hactenus occasio defuit. Observavimus tamen in nuperâ Anatomiâ non solùm *ductus ex uvula*, sed peculiares qvoque ductus, qvi ad palati glandulas abire videntur. Sed non audemus eosdem vel adserere, vel describere, priusqvam in aliis accuratius investigaverimus.

§. 14.

Uvula sanè seu Gurguleon non est caruncula fungosa, uti cõmuniter statuũt, sed *glandulosa* substãtia & revera *glandula conglomerata*. Si enim exterior tunica, qvæ est nihil aliud, qvàm membranæ palati progenies, & papillam qvandam apprimè repræsentat, removeatur, id, qvod retrò conspicitur, instar Uvæ cujusdam prominet, ubi glandulæ minores instar acinorum invicem conglomeratæ cohærent. Qvæ glandulosa productio continuari videtur cum glandulis palati & faucium. Ut ita optimè statui qveat lympham qvandam pro Saliva hîc secerni. Id qvod & suo tempore per transennam *Varolium* vidisse autumamus, dum scripsit, quòd Uvula humiditates è Cerebro stillantes excipiat.

§. 15.

Cæterùm sunt adhuc aliæ glandulæ, qvæ itidem Salivam præparant, ex qvarum ductibus, qvamvis non manifestè exilire cernatur Saliva, aliâ tamen ratione, qvòd inde destillet, manifestarunt Curiosi. Sic *Regner. de Gräff.* Vir longiori vitâ dignus, mediante Instrumento qvodam, quod apud *Eundem*, *Blasium* & *Bartholinum* vide depictum, ex ductu salivari superiori, Steuoniano dicto, Salivam eduxit. v. *Thes. 67. de Succo Pancreat.* Vidit

& ex hoc ductu rivuli instar profluentem lympham *Thomas Bartholinus in Anat.ref.*

§. 16.

Hic *ductus superior salivaris* à *Nicolao Stenone* Dano fuit detectus, & propterea *Stenonianus* dictus est. Ita autem ab Eodem describitur: Oritur, inqvit, Vas illud salivare intra nominatam sœpius Parotidem conglomeratam pluribus è rivulus in unum alveum confluentibus, qvi inde in Vitulino, ut & in Ovillo Capite, versus inferiora delatus, ab inferioris maxillæ angulo ad sinum lateri ejus imo insculptum tendit, unde obliqvè antrorsum assurgens, tandem foramine satis amplo papillarum summæ & postremæ ad molarium secundum sitæ insculpto, in partem oris exteriorem patet. In homine, si rectum ejus tramitem, qvo glandulam inter & buccinatoris medium fertur, consideramus, videtur idem esse cum robusto vinculo, quod è centro buccinatoris exterius enatum, os genarum perceptare, & in musculum qvendam parvum & gracilem, buccæ directè oppositum, terminari *Cassericus* scribit.

§.17.

Glandulæ è quibus Ductus hic oritur, sunt *Parotides*, quæ remotis integumentis communibus in foveâ sub aure externâ non tantum ponè aures, verum etiam sub auribus, & ad utrumqve latus conspiciuntur: Inter has duæ insignis magnitudinis reperiuntur, sibi invicem propè accumbentes, qvarum *minorem* & anteriorem *conglobatam* vocant. *Venas* & *arteriores* varias in se recipit, nervos autem copiosos. Nam ostendit *nerveum plexum*, ex nervis qvinti paris durioris rami surculis variè inter se concurrentibus productum.

§.18.

Glandulas Buccarum itidem Salivam secernere *Sylvius* observavit. Cùm enim haberet ægrum ulceribus buccarum laborantem, & interdum limpidam inde vim Salivæ æmulam manare videret, glandulas illas examinavit, & quòd huic officio dicatæ sint judicavit. Primùm autem nulli ductus fuerunt observati, usq; dum *Nicolaus Steno*, non solùm singularem quendam ductum, sed etiam plures alios detexit, qui in majoribus

bus animalibus magis conſpiciuntur, quàm aliis, ubi ſaltem compresſione, vel ſetâ immiſſâ, in conſpectum veniunt.

§. 19.

Hæ glandulæ totam buccarum regionem occupantes exteriorem oris cavitatem undiq, ambiunt, & ſurſum deorſumqve ad gingivas pertingentes, muſculos inter & tunicam oris feruntur. Inferiore ſui parte crasſiores ſunt, hinc tenuiores redditæ venis, arteriis & nervis tùm in hanc, tùm in anteriora transmisſis, liberam, per exteriorem ſuperficiem viam concedunt, prout hæc ita deſcribit *Steno*.

§. 20.

Suſpicamur quoq; idem de labiorum glandulis. Dum enim quam plurimæ illis inſunt, vero ſimile videtur officium idem, qvod glandulis buccarum, eſſe â Natura concreditum.

§. 21.

An Aqvæ ductus Fallopiani ex auribus ad palatum tendentes, itemq; glandulæ oculorum *Innominata Warthoni, & Lachrymalis Stenonis*, etiam ad ſalivæ conſtitutionem naturaliter aliquid conferant? non audemus aſſerere. Habent ſuum â Natura Auribus Oculisqve deſtinatum uſum. Et quicquid ad nares vel palatum mittunt, ut ſuperfluum & excernendum eò ablegant. Quemadmodum neqve cum *Diemerbroccio* facere posſumus, qui ſtatuit, quòd nec mucus narium, ſi qualitates alienas non habeat, multum â Saliva differat, quod fauces, œſophagum, &c. humectet, fermentet, & eundem cum Saliva habeat uſum. Nam ad id naturaliter non fuit ille mucus ſecretus. Quin imò, dum naturaliter per nares excernitur, inutilis erit corpori, undecunque ſive ex cerebro, ſive arteriis, eò transferatur. Unde ſi interdum declinat vias ordinarias, & per palatum delabitur, tusſim, Catarrhos, faucium eroſiones, etiam ſi alienas qualitates non habeat, excitare ſolet.

§. 22.

Ex *Palati Tunica*, quòd mucilaginoſa materia Salivæ communicetur, manifeſtum erit, ſi leviter illa tunica comprimatur vel compungatur. Tunc enim talis mucilago ex poris exprimitur. Optimè autem in demortuis cernitur, ubi copioſius huic

tunicæ

tunicæ adhæret humor lentus, & ex poris & quibusdam ductibus extrahitur. An transſudet hic humor per poros tunicæ, non diſputabimus. Saltim hoc difficulter explicabitur, quomodo humor hic â Sanguine ſecernatur, antequam ad tunicam veniat, niſi glandulas admittamus. Obſervavit *Steno* ſub iſta tunica glandulas quamplurimas, quas *Palatinas* vocat. Unde quod innumeri *exiles ductus* tunicam perforantes prodeant, manifeſtavit. Quo ipſo etiam modum, quâ ratione mucilago illa â Sanguine ſeparetur, monſtravit.

§. 23.

A Veteribus & Recentioribus quoq; *Tonſillæ* inter glandulas Salivales referuntur. Vocantur *Pariſthmia* ab aliis, itemq; *Antiades*, & *Amygdalæ*. Sitæ ſunt ad utrumq; faucium latus, in angiportu, Iſthmo aliàs dicto. In illis obſervantur plura foraminula, per quæ lentus humor exſtillat. Et præter iſta foraminula ſatis amplum foramen quoque ineſt iisdem, quod ſœpè dehiſcit, ut varia intra Cavitatem ſe recondant, quæ intumeſcentiam efficiunt. Utut Veteres ferè omnes hiſce ſolis glandulis effuſionem Salivæ aſcripſerint, & Recentiores quoq; cum Veteribus pleriq; conſpirent, nihilominus tamen *Hornio* Lugdunenſi, harum glandularum uſus videtur adhuc incognitus. Hoc equidem negare non poſſumus, quòd, quoniam conglobatæ ſunt glandulæ, talem limpidam lympham equidem non effundant, ut glandulæ conglomeratæ. Non dubitamus tamen aſſerere, quòd ad Salivæ conſtitutionem concurrant, dum certum quendam & peculiarem humorem ſecernunt, qui lymphæ commiſcetur, ut Saliva juſtam acquirat conſtitutionem. Ut enim aliàs glandulæ conglobatæ craſſiorem lympham ſecernunt, ſic & idem de hiſce dicendum erit.

§. 24.

Dedimus itaq; declaratum, quòd limpida & aqvoſa Salivæ materia in glandulis conglomeratis, maxillaribus, parotidibus, Uvulæ, ſublingvalibus præparetur, & per ductus ſalivares Warthonianum, Stenonianum, ſublinguales & uvulares in os defeːratur: et quod mucilaginoſa materia quæ admiſcetur ex Palatinis

tinis & tonsillis egrediatur. Jam porro quoque ulterius inquirendum, unde ad has glandulas materia deducatur.

§. 25.

Ubi illicò ex Veteribus se offerunt qvàm plurimi, qui partim ex Cerebro statuunt ad glandulas ablegari, partim autem qvod ex Ventriculo eò veniat. Pleriq; pro fundamento habent Galeni loca, & quidem quod ex Cerebro destillet, l.2.c.6. de Temperam. adducunt, ubi *Galenus* scribit: *Jam Cerebrum ipsum, cujus sit temperamenti per se æstimare est satius, qvàm ex Corporis totius Affectu. Ipsius autem per se consideratio, ex canitie, catarrhis, tussi, destillatione*, & Salivæ copia initur, *qvippe qvæ omnia id frigidius humidiusq; esse doceant.* Ratione Ventriculi autem allegatur c.4.l.8. de Compositione Medicamentorum κατὰ τόπους. Sed si rectè æstimetur, id, quod volunt, loca non probant. Nam dicit eo loco Galenus: *Iis, qui Salivam multam in Stomacho aggregarunt, aridam Coryzam manducandam dato.* & paulò post: *Dolorem Ventriculi lenit lac asininum &c: aut glaciem jejunis qvotidiè exbibeto, ut ea assiduè manducata, Salivam exspuant.* Ubi clarè patet, quod *Galenus* non de naturali saliva loquatur, sed quod σίαλος hîc de λάπῃ & Saliva p.n. intelligatur. Et sic etiam in Intemperie Cerebri humida eò respiciendum erit. Equidem fatemur quod communiter apophlegmatismata & masticatoria in Cerebri & Ventriculi humida constitutione ordinentur. Sed asserendum non est, quòd immediatè ex Cerebro educant humiditates, cùm nulli ductus è Cerebro ad glandulas abeant. Imò potius ex Massa Sanguinea educunt, & per consequens etiam illuvie Cerebrum liberant, Siquidem pro toto Corpore purificando aliàs Salivationes in Lue Venerea instituuntur.

CAPUT III.

DE MATERIA, CAUSIS EFFICIENTIBUS, ET MODO SECRETIONIS.

§. I.

QVandoquidem manifestum est, quòd in glandulis Saliva præparetur, & per peculiares ductus effundatur, de *Materia*

ex qua fiat faciliùs judicare poterimus. Nam præter *arterias* & *nervos*, nulli sunt ductus, qvi ad glandulas aliquid vehunt. Igitur vel â nervis, vel arteriis, vel utrisq; materiam accipiunt.

§. 2.

Nam etsi *Deusingius*, *Bilsius*, & alii ad vasa lymphatica confugiant, nondum tamen fuerunt demonstrata, quòd in glandulas dehiscant. Aliàs fatemur, quòd adeò improbabile non sit, aliquid saltim ad glandulas Salivales ex Lymphaticis deferri, cùm mirus lymphæ sit consensus, & melius explicari posset, quomodo tam citò saliva fieret.

§. 3.

Quicquid etiam dicatur de *glandula pituitaria*, *plexu choroide*, & *Osse cribriformi*, id omne huc non spectat, dum non in glandulas terminantur, & id, quod exinde descendit, pro Saliva habendum non est. quemadmodum & hanc controversiam nostram non facimus, an aliquid è cerebro descendere queat, necne. Adducimus saltem verba *Willisii*, & judicamus, quòd, si quid descendat, in alium finem delabatur. Sic autem *Willisius*: Hinc *constat unde, & qvo ritu serosa colluvies intra Cerebri Ventriculos congeritur. Certè huic exitum denegare, nihil aliud est, qvàm cujusq; Cerebrum vipera gravidum asserere, cui qvidem partus, nisi per exesa parentis viscera, minimè concedatur.*

§. 4.

Warthonus & ii qui asserunt Succum nutritium è *nervis* ad partes deferri, adstruunt quoq; è *nervis materiam effluere*, & pluribus id probare nituntur argumentis, (1) quod Nervi ad glandulas salivares in copiosa quantitate inserantur, cùm tamē iisdem neq; ad motum, neq; sensum opus habeant. Exinde probabiliter concludunt, quòd aliquid ad Salivæ generationē conferant. (2.) quòd èc contra arteriæ pauciores adsint, quàm qvæ sufficiant ad secretionem Salivæ. (3.) Ad animi motus Saliva copiosior quòd exiliat, præsertim ubi desiderium est cibi, vel appositum ferculum delicatius conspicimus. Mittere enim eò videtur Phantasia Spiritus animales, & unà succum nutritium, ut Saliva in promptu sit. (4.) Urgent, qvòd Ptyalismus, Salivationes nimiæ,

sive

ſive per nimium Medicamentorum uſum excitatæ, ſive per ſe ortæ fuerint, totum nervoſum genus humiditate ſua unctuoſa privent, & ſic nimium qvantum exſiccent. Qvibus rationibus (5.) Williſius addit, qvòd in Affectibus nervorum, & præcipuè Paralyſi habituali, inunctiones ☿riales utiliter adhibeantur, fortean qvod ☿ ductus nerveos ſubeat, materiam morbificam iis impactam dirimat, ac per vias ſalivales educat.

§. 5.

Verùm enim verò qvòd ejusmodi aqvoſus & ſœpè lentus liqvor per nervos tranſeat, eqvidem non perſvademur, cùm leviter ſaltim, ſi qvid in nervos influat, illicò paralyſin excitet. Neceſſariò etiam haberent manifeſtam cavitatem nervi, ſi aliqvid corporei tranſire deberet. Nam dum poroſi ſunt, fluxus liberior eſſe non poteſt. Atqve ſi in tanta copia, prout ſœpè effluit, è nervis educeretur, ligati nervi omninò intumeſcerent, id qvod tamen nemo aſſerere poterit. Inſuper ſi in Lue ♀rea & Scorbuto, ubi acredo ſemper eſt conjuncta, liqvor ex nervis extillaret, Spasmus, vel Motus Convulſivi ſubſequerentur. Tandem addo, qvòd in Apoplexia vera ſalivæ abundet, & ſœpè ex ore emanet, ubi tamen plerumq; obſtructa eſt nervorum propago.

§. 6.

Qvod autem rationes adductas attinet, concedimus eqvidem (1.) ramificationes nervorum, ſed non illicò ſubſumendum eſt, quòd Salivæ materiam præbeant, nam præterqvam qvòd ad motum & ſenſum faciant Spiritus animales per nervos influentes, etiam concurrunt ad Salivæ ſecretionem, ut Cauſa efficiens, non verò ut materialis, de qvo §. ſubſeq: (2.) Arteriæ & Venæ tot adſunt, qvot opus habebat Natura. Et qvamvis in unam glandulam copiosè non inſerantur, cùm tamen plures glandulæ ſint, defectus ſuppletur. (3.) Movetur Saliva copioſiùs appoſitis ferculis propter Spiritus animales copioſiùs ſecernentes, qvos Phantaſia eò mittit, & qvod eô tempore lingva freqventius movetur, unde ex ſublingvalibus copioſius exprimitur. Qvod (4) nimiæ Salivationes, nervoſum genus exſiccant, mirum non eſt, cùm totum corpus, non ſoli nervi, privetur ſufficienti humido.

Idem faciunt quoq; nimiæ Diarrhœæ, Diabetes & evacuationes omnes. (5) In Paralysi Purgationes, V. S. Diaphoresis, Diuresis, utiliter itidem ut Salivationes instituuntur, ergo ne sequitur qvòd nervi vehant succum qvendam? & quòd nervi vehant excrementa, qvæ excernuntur? Instituuntur si instituendæ, ut moveatur lympha, crassa & impacta materia incidatur, & sic â venis & vasis lymphaticis denuò assumatur. Unde & *Willisius* in ea Paralysi judicat Salivationem esse excitandam, *qvæ procatarxin in Sangvine & Cerebro satis mobilem habeat*. Ubi omninò ad Sangvinem respicit.

§. 7.

Atqve sic statuimus, qvòd *arteriæ* subministrent *materiam*, *nervi* autem adportent *Spiritus animales* materiam hanc secernentes. Est enim M. S. fons & origo omnium ferè humorum in corpore, qvæ ut heterogenea est, & sic varias in se continet particulas, sic postea non solùm Salivæ, sed aliis quoq; humoribus præbet materiam. Hinc qvando M. S. est nimis serosa, copiosius secernitur Saliva: si invicem omnia confusa sunt, ut in Febribus, saliva secerni non potest: si bile abundet sangvis amarities etiam communicatur Salivæ, ut gustu amaritiem percipiat lingva. Serum hîc tanqvam proxima materia concurrit, cum quo magnam Saliva convenientiam habet, cujus naturam æmulatur, dum Salia dissolvit & in se recipit, â qvo etiam acorem & salsedinem accipit. v. *Piso & Johan. Theod. Schenck. uterqve de Sero Sangvinis.*

§. 8.

Ut autem Saliva â Sero & Sangvine in glandulis salivalibus secernatur, partim *fermentum peculiare*, qvod glandulis connatum est, partim etiam *Spiritus animales* efficiunt. Non tamen excludimus *Facultatem Naturalem*, tanquam *Causam efficientem principalem*, quæ utitur *Calore & spiritibus animalibus*, itemqve *fermento*, ad hoc opus perficiendum. Unde qvoniam ad Salivæ generationem concurrunt tot causæ nobiles, mirum non est, qvòd Salivæ communicentur sangvinis & malignitatum Ideæ, & sic in cane rabido Saliva totam veneni ideam in se contineat.

§. 9. *Spiri-*

§. 9.

Spiritus animales qvòd concurrant patet exinde, qvòd (1.) admodùm multi nervi ad glandulas salivales abeant, cùm neqve ad motum neqve sensum iisdem glandulæ indigeant, unde probabiliter concludimus, qvòd spiritibus hisce opus habeant ad secretionem. (2.) Qvòd ad motus animi copiosius effluat saliva, ut propterea salivam movere idem sit ac desiderium qvalecunqve excitare. (3.) Hinc in coitu qvibusdam animalibus saliva copiosius effluit, qvòd eô temporeSpiritus animales fortiter moventur, & sic qvoqve ad glandulas salivares irruunt. (4.) Hinc ad fortes animi motus in furibundis animalibus furoris ideam in se recipit Saliva & aliis posteà communicat.

§. 10.

Fermentum peculiare ut glandulis connatum sit necessum est. Nihil enim secernit seipsum facilè, sed opus habet aliô secernente. Serum sanè cum M. S. in vivente Corpore counitur intimè, ut propterea opus habeat dissolutione, si ab eâdem secedere debet: Hoc ut fiat opus sanè est re aliqva dissolvente. Utrum autem sit alkalicæ & lixiviosæ naturæ? aut acidi saporis? difficulter definitur, qvoniam sensibus non objicitur. Qvod acidum sit, probabiliter concluditur, qvoniam pleraqve interna, qvæ salivam movent, ut ☿ius, acida sunt. Et qvòd in Scorbuticis & Melancholicis, in qvibus acidum abundat, copiosius fluit Saliva. Itemqve qvod ipsa Saliva subacida evadit.

§. 11.

Nonnulli eqvidem dùm de *Modo Secretionis* agunt ad solam *Colaturam* confugiunt, existimantes ita conformatas esse glandulas, ut per earundem poros aptè proportionatos illicò transeat Saliva, remanente sangvine; ita ut postea Saliva in ductus salivares abeat, sangvis autem à Venis reassumatur. Verùm hac ratione nihil penitus differret à sero, & perinde esset, sive serum sangvinis, sive Salivam ad usus infra commemorandos assumamus. Necessum sanè est, ut immutetur, dum peculiaris humor fit, & peculiares usus habet. Hinc Veteres dicebant, qvod Salivæ generatio fiat πέψει καὶ ἀλλοιώσει, coctione & alteratione. Nos hanc *alterationem* & *separationem* fieri judicamus *præcipitatione*, qvatenus spiritus animales cum acido fermenti & sangvine commiscentur, & leviter invicem effervescunt, tunc enim Saliva hæc

a

à ſangvine præcipitatur, & ſimul fermenti ideam impreſſam retinet, ac per poros glandularum tranſit in ductus Salivares.

§. 12.

E ductibus ſalivaribus qvanqvam per ſe exeat, multum tamen confert lingva, qvæ, dum hinc inde movetur, è ductibus qvaſi exprimit Salivam, ut cum impetu eò irruat & exiliat.

CAPUT IV.

De

USU SALIVÆ.

§. 1.

QVandoqvidem diximus Salivam non eſſe Excrementum, & *Hippocrates*, ut interpretatur *Galenus* 6. Epidem. σιάλȣ γένεσιν ἐν τῷ ϛόματι τῶν προνοητικῶς ὑπὸ τῆς φύσεως γινομένων, *in numerum eorum* refert *Salivæ generationem, qvæ providè à Natura fiunt*, hinc meritò etiam de ejus uſu agendum erit.

§. 2.

Uſum potiorem judicamus eſſe ut inſerviat *Maſticationi & Deglutitioni*. Nam dum ſicca interdum offeruntur, opus eſt humido, ſine qvo non facilè vel cōminui, vel deglutiri poterit aliqvid. Unde in Febribus & aliis Affectibus oris, qvando Saliva non ſecernitur, qvòd maſticatio & deglutitio ceſſet, etiam in Vulgus notum eſt. Atqve propterea Natura provida in omnibus oris partibus tales rivulos conſtituit, ut in promptu ſit Saliva. qvandoqvidem exſtillat *antrorſum* ſub *lingva*, *retrorſum* ex *Uvula*, & in utrisqve *buccis* ex *buccalibus*, & Stenonianis ductibus, *ſupra* autem ex *palatinis* poris & meatibus.

§. 3.

Præcipuè autem Uvulæ liqvor qvi exſtillat ad deglutitionem inſervire videtur, dum ad angiportum excernitur, ut cibus deſcendens magis adhuc humectetur, & viæ lubricæ reddantur. Qvæ Uvulæ Lympha ad Laryngis & præcipuè epiglottidis humectationem itidem concurrere videtur. Dum enim perpetuò Epiglottis movetur, & aëre intrante exſiccatur, opus habet humido, qvod ex uvula, dum proximè adjacet, eò venire judicamus. Unde ſi lympha hæc acida & acris ſit, facilè tusſim excitare ſolet.

§. 4.

§. 4.

Non autem unicè ad masticationem & deglutitionem concurrit, sed præterea ad aliqualem *Cibi solutionem & reclusionem* facere videtur. Qvandoqvidē cib⁹ paulò saltim masticatus alium colorem ac saporem acqvirit, & alium qvoqve odorem spargit. Intrat intima statim, & intimè commiscetur omnibus cibis assumptis Saliva, ut propterea menstruum universale non immeritò appelletur. Dum enim alia omnia diversa reqvirunt menstrua, hæc Saliva promiscuè omnia dissolvit, qvatenus parte aqvosa resolvit salia, & propter mucilaginem pingvibus & oleosis se sociat, eaqve diluit. Sal qvod in est, propter volatilitatem intimè penetrat cibum, ut facilius eâ imprægnatus suum in ventriculo deponat chylum. Addo qvòd & propter idem sal volatile, si qvid cibis insit veneni, optimè corrigatur.

§. 5.

Ut propterea multi qvoqve in eam descenderint opinionem, Salivam esse genuinum *fermentum* non solùm ad masticationem, sed etiam *Chylificationem seu fermentationem Ventriculi*: qvòd perpetuò deglutitur, qvod ⊖e præditum est, & sic genuinum fermentandi principium in se habet. Sic enim *Casparus Hoffmannus*: *Saliva est instar fermenti, potus autem instar aqvæ.* Et *Francisc. de le Boe Sylvius*, Salivam pro genuino fermento admittit.

§. 6.

Verùm qvamvis dixerimus aliqvid conferre Salivam ad mutandum cibum, & qvamvis etiam concedamus, qvòd inchoet fermentationem, qvoniam admodum apta est ad hoc opus, dùm facilè sirupos facit fermentescere; non tamen totum fermentationis opus absolvere potest, sed necessum est, esse adhuc peculiare fermentum in Ventriculo ab hoc distinctum. Nam ruminantia animalia sic fermento privarentur, dum propter Omasum & Abomasum, qvi interjacent, saliva, in Ventriculum pervenire non potest. Nec in tantâ copiâ fit, ut sufficiat.

§. 7.

Interim tamen qvod *ad gustum* multum conferat Saliva neutiqvam inficias ire possumus. Dum enim aptum menstruum est

⊖ia

⊖ia diſſolvendi, facit ut ⊖ ſolutum tanqvam genuinum guſtus objectum in *papillas lingvæ*, qvas obſervavit & adſtruit *Malpighius*, ſe inſinuare, & guſtũ perficere qveat. Qvanqvam circa hanc *Malpighii* ſententiam plura veniant notanda, dum videmus non ſemper ⊖ia diſſolvi, cùm tamen guſtus optimus fiat, uti id obſervamus in Avibus qvibusdum, qvi grana deglutiunt integra & arida. Qvomodo tunc papillæ afficiuntur, ſi ſunt guſtus organon?

§. 8.

Tandem, ut *lingva commodè moveri* qveat, Salivæ adſcribitur, qvemadmodum & impedire lingvam ſolet, qvando copioſa in Scorbuticis & Phlegmaticis excernitur. Unde propter defectum Salivæ in febribus lingva difficulter movetur, & Palato adhærere dicitur. Qvem uſum Salivæ jam olim Veteres omnes aſſignaverunt.

§. 9.

Cæterùm ad varios uſus Medicos novimus Salivam adhiberi, dum Podagrici nodos articulorum Salivâ matutinâ inungunt, & ſic dolores mitigant. In vulgus notum eſt Salivam jejuni hominis illitã lichenas, Impetigines, Serpigenes & id genus alia, puſtulas tollere. Tollere itidem putatur inflammationes, ſi ab ictu apum, aliorumqve inſectorum oriantur. Tandem etiam in ſuggillationibus pro cura vexatorum crebrius adhibetur.

§. 10.

Qvemadmodùm autem non ſolùm corpori eſt admodùm utilis, ſed etiam pro Medicina uſurpatur: Sic è contrà interdum maximè noxia evadit, ſi malignitate imprægnatur. Nôcet vipera, nocet canis rabidus, & omne animal rabidum ſolâ Salivâ ſi commordet aliud, & Salivam in vuln⁹ infundit. Nam idea & fermentũ veneni, qvod in ſangvine eſt, Salivæ cõmunicatur, qvod ubi in aliud corp⁹ transportatur totã maſſam ſangvineã ſibi reddit ſimilẽ. Hinc & per oſcula communicatur Scorbutus, communicatur phthiis, & qvoties Lues Venerea? Plura hic poſſent adferri, ſed qvoniam propriè hùc non ſpectant, hic merito acqvieſcimus, & velis contractis, portum reſpicimus. Tibi autem DEUS Ter Opt. Maxim. ſit Laus, Honor & Gloria in ſempiterna ſecula!

FINIS.